



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Epidaurensis n. 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

votis fuit, tentaruntque alij iam Reges, & Pontifices (sed frustra) obtinere placuit nunc diuinæ providentiæ auspicijs, ductu, atque opera Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII. felicissimè perficere, i. que absque vlla conditione graui nobis, & vna cum restitutione bonorum mobilium quæ olim ibi possidebamus; & denique, quod vulgus vix credit, sine teruntio contributionis pecuniariæ ex parte Societatis, vt verissime nobis dicere liceat: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc facti series, de qua iussu, & nomine Serenissimæ Reipublicæ Excellentiss. Dominus Dominicus Ziani Ordinarius in Matritensi Curia Nuncius, Patres Imperialis nostri Collegij certiores fecit, additque Serenissimam illam Rempublicam 26. Ianuarij Decretum formasse (retroactis in contrarium reuocatis) in quo periucundè Sacræ nostræ Religionis reuerfionem in totum suum Venetum Dominium præcipiebat. Hæc Nuncius tam Serenissimæ Reipub. nomine. Ita in Relat. P. Hyacinthi Perez Proc. Ind. typus edita Hispal. ann. 1658. fol. 4.

4. A REP. EPIDAVRENSI, Sive RAGVSANA: Quæ Bobadilla nostri non multis Concionibus auditis, & cetera iuandi proximos ratione, ac dexteritate perspecta, Collegium Societatis instituere Communi Consilio decreuit: eaque de re ad Lainium Generalem Literas dedit: In ijs literis ait, Iam diu sibi fuisse in votis Collegium instituere Sacerdotum eiusmodi, ex quibus & ceteri sacri Viri exempla, & populares præcepta Christianè viuendi caperent. Habere enim persuasum oportere in Epidaurensi Reipublica Christianam sanctitatem florere vel maximè: vt quoniam adeo vicinos habet Christi hostes, & aduersus eorum corruptelas tuta sit, & vero etiam innocentia morum arguat, ac pudore suffundat. Quales optabat Sacerdotes, dudum se fando audisse, modo ex Bobadillæ vita, actionibusque vidisse, Sacerdotes esse Societatis IESV. Quare aliquot sibi horum concederet, tres nimitum operi inchoando, &c. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num. 53.

Ab Epidaurensi ad morum reformationem expe-  
tita. Literis ad Lain.